

Secundum

hoc modo ieiunus. quibus possit conficere et celebrare. tamen non debet. quia graviter peccaret. Et ideo cum quis est plures missas eodem die celebraturus non debet sumere ablutionis vinum nisi in ultima missa. ut inferius circa resolutionem ultimi dubij articulo quinto huius capituli latius dicetur.

ii Sol. Quid agendum si quis post missas inceptas recorderet se ieiunium soluisse. Si recorderetur hoc ante consecrationem tutius est quod cesset. nisi graue scandalum timeatur. si post consecrationem. procedat et perficiat. non obstante quod non sit ieiunus. quia preceptum de perceptione sacramenti maius est quam preceptum quod a ieiunis sumatur

iii **Utrum** transglutians reliquias que post comestionem in ore remanserunt possit celebrare **Dubium**

Sol. Si casualiter transglutiantur non impediunt celebrationem. quia non traiciuntur per modum cibi. sed salivae cui permiscuntur. Si vero studiose id fiat abstinendum est

iiii **Quid** si quis gargarisando vel os mundando parum de aqua aut de vino transglutiat.

Sol. Sicut in dubio precedenti

v **Si** quis tarda hora comederit vel biberit et nondum digesserit illum cibum. utrum ei liceat celebrare **Dubium**

Sol. Si ex hoc non reddatur multum indispositus ad debite celebrandum. tunc licet. Si vero ex hoc multum perturbetur et indisponatur tutius est ut abstineat. Unde dicit glossa circa cano. Nil. vij. q. i.

vi **Si** quis etiam ante medium noctis comederit. et adhuc sentiat eructationes ex non digestionem cibi. quibus diu cibum sentit non celebrabit **Dubium**

Sol. **Utrum** patiens vomitum vel iam passus licite possit celebrare. Si quis ex infirmitate sustineat illam passionem. debet abstinere quousque sanetur

vii **Quid** si per totam noctem non dormierit

Sol. Sicut in precedenti dubio. Dicit enim glossa in. c. Constituerit. de accu. de vinolento qui in taberno pernoctavit et altera die nulla premissa dormitione celebravit. quod non videtur ieiunus sed pransus celebrasse propter indigestionem. Et glossa circa canonem sacramenta de secreta. di. i. Ieiunium inquit dico celebrata digestionem

Resoluit quinque dubia circa celebrationis abstinentiam eiusdemque frequentiam occurrentia **Articuli. iij.**

i **Utrum** liceat sacerdoti abstinere omnino a celebratione.

Sol. Si sacerdos per sententiam ecclesie sit ordinis executione priuatus. vel si debilitate aut egritudine factus sit impotens vel ineptus ad celebrandum. tunc non tenetur celebrare. Si vero non sit priuatus potestate celebrandi aut alius factus impotens tunc non licet ei omnino abstinere quin saltem teneri videatur ad celebrandum in precipuis festis. et maxime in illis diebus in quibus christifideles communicare consueti sunt.

ii **Utrum** expediat sacerdoti ut frequenter celebret

b ij.